

- Carta avoriata uso india da gr. 50.
- Formato cm. 28 x 28,5.
- Piena rilegatura in skivertex con impressioni in oro e pastello.
- Stampa a due colori.
- Scheda-segnalibro con indici e abbreviazioni dei Libri Sacri.
- 15 tavole fuori testo, a sei colori su carta patinata.
- 3 segnacoli in seta.
- Custodia cartonata in skivertex e carta telata plastificata.
- Prezzo dei due volumi: L. 25.000 porto e imballo gratis.

DISTRIBUZIONE A CURA DELLA LIBRERIA EDITRICE VATICANA - CITTA' DEL VATICANO

*N.B. - Ai membri della C.E.I. l'opera viene offerta con lo sconto del 25%  
porto franco. Si prega di inoltrare la richiesta alla Segreteria Generale servendosi del  
modulo allegato al dépliant inviato a tutti i Vescovi.*

## **San Paolo apostolo Patrono dei subacquei d'Italia**

---

*Dopo la votazione dei Vescovi (cfr. « Notiziario C.E.I. », n. 16 del 30.XII.1971,  
pp. 297-298), il Santo Padre si è benignato di confermare la proclamazione di San  
Paolo apostolo a patrono dei subacquei d'Italia.*

SACRA CONGREGATIO PRO CULTU DIVINO - PROT. N. 3267/71.

### DIOECESIUM ITALIAE

Subaquaneam actionem in Italia gerentes tum milites tum civiles et etiam ludis certantes, promulgationem S. Pauli Apostoli tamquam Patroni pro suo sodalicio ab ecclesiastica auctoritate unanimi fere voce exquisierunt.

Ratio petitionis, et quidem religiosa, inter alias proponitur ex opportunitate alicuius caelestis patrocini, praesertim in adiunctis demersionis, ita ut gravissima pericula inde emergentia vitari valeant.

Conferentia Episcoporum Italiae vota excipiens, electionem S. Pauli Apostoli tamquam Patroni « Subaquaneorum » die 23 decembris 1971 rite approbavit.

Em.mus Dominus Card. Antonius Poma, Praeses Conferentiae Episcopalis, litteris die 23 decembris 1971 datis, enixe rogat ut electio et approbatio huiusmodi, ad

normam Instructionis *De Calendariis particularibus atque Officiorum et Missarum Propriis recognoscendis*, n. 30, confirmantur.

Sacra porro Congregatio pro Cultu Divino, vigore facultatum sibi a Summo Pontifice PAULO VI tributarum, attentis expositis, cum electionem et approbationem ad iuris praescriptum peractas esse constet, precibus annuit atque Sanctum Paulum Apostolum « Subaquaneorum » Italiae Patronum confirmat, decernes ut hac super re Apostolicae Litterae in forma Brevis expediantur.

Insuper statuitur ut liturgica celebratio Patroni ex parte sodalium consociationis « Subaquaneorum » gradu festi peragi valeat.

Contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Ex aedibus Sacrae Congregationis pro Cultu Divino, die 13 ianuarii 1972.

+ A. BUGNINI, *a Secretis*

ARTURUS CARD. TABERA, *Praefectus*

**Lettera apostolica « Quantis periculis »**

PAULUS PP. VI.

Ad perpetuam rei memoriam. — Quantis periculis subaquanei undique cingantur, quibus sane capite dimicandum est suo, quantisque praesidiis caelestis virtutis oporteat eos tegi ut tranquille agant, is facile intelleget, qui horum munus et officium vel leviter attingat. Qua moti re, subaquanei tum milites, tum cives publicis ministeriis addicti, tum etiam ludis certantes ab ecclesiastica potestate id petierunt, ut beatus Paulus apostolus sibi patronus daretur atque declararetur. Quam electionem coetus seu conferentia Episcoporum Italiae cum die vicesimo tertio Decembris, anno millesimo nongentesimo septuagesimo primo, rite approbasset, per suum Praesidem atque venerabilem Fratrem Nostrum Antonium S.R.E. Cardinalem Poma, Archiepiscopum Bononiensem, rem confirmari poposcit, ad normam Instructionis de Calendariis particularibus atque Officiorum et Missarum propriis recognoscendis, n. 30. Quae cum ita sint, Nos id nonnihil conferre posse censemus ad pietatem eorum qui petierunt intendendam, expostulationi huic aequo animo concedimus, eaque rata habentes quae Sacra Congregatio pro Cultu Divino statuit, electionem S. Pauli apostoli approbationemque per Italiae Episcopos factam confirmamus, simul decernentes ut liturgica celebratio ab Sodalitate Subaquaneorum fieri possit inque festi ordinem redigatur. Contrariis nihil obstantibus. Ceterum volumus ut hae Litterae Nostrae sive nunc sive in posterum serventur efficaciamque suam habeant. Datum Romae, apud S. Petrum, sub anulo Piscatoris, die tertio decimo mensis ianuarii, anno Domini millesimo nongentesimo septuagesimo altero, Pontificatus Nostri nono.

ALOISIUS CARD. TRAGLIA, *S.R.E. Cancellarius*

Loco + Sigilli

*Expedita die XXIX Jan. anno Pontif. IX*

*In Ap. Canc. tab., vol. CXL, n. 59.*